

peccatis et exacerbes Deum in actibus tuis. Si vero prius-
40 quam census tui fiat multa iactura et priusquam terra
tua noxiis inundationibus repleatur, excludas irruptio-
num fauces et ingressum prohibeas inundantium vitio-
rum, poteris rursus pristinam reparare culturam et ad
fructus solitos ruris optimi quondam tui exercere nova-
45 lia. Exurge ergo, exurge, sicut propheta dicit, et excute
pulverem tuum, exurge de terra et statim, mihi crede,
terrebitur adversarius tuus. Ille enim ita te quidem deie-
cit quasi ultra non resurrecturum, si autem videat te
exurrexisse de terra et brachia rursus certamini proten-
50 dentem, ipsa tui audacia deterrebitur et quanto tu promp-
tior, tanto ille formidolosior fiet. Et quanto tu maiora
praesumes, tanto ille infirmior fragiliorque reddetur. Sed
et illud cogita quod tibi maiora audenti aderit Deus, illi
vero scelerum conscientia et audaciam labefactabit et
55 vires. Si mihi credis, iam mihi videor videre erga te Dei
nutum et te quidem sublimari auxilio divino, adversarium
vero tuum pudore ipso et confusione terreri. Iam mente
conspicio quod omni gratulatione atque omni favore
totus ad se invitet virtutum chorus. Tu tantum nihil
60 reformides, nihil trepides, sed perge audentior, tende
alacrior, erumpe iam laetior. Nec ego usquam pro viribus
deero, sed semper animabo sermone, semper hortabor et
praesentem viva voce et absentem litteris suscitabo,
quanquam certus sim quod si haec libenter legas, alia
65 ultra medicamenta quaeras.